



V<sub>1</sub> 54-95

V. a 56-97 pag 57<sup>a</sup>-59<sup>a</sup>  
B 5 Vol. II.





~~36-97~~

ACTIVATORIVM









56. 3

# ACTUM ORATORIUM

PRID. ID. DEC.

AB HORA II. POST MERIDIEM

# IN STEPHANEO

HABITUM IRI SIGNIFICAT.

DE

# EMENDANDA RE SCHOLA- STICA PER EXPERI- MENTA

PAUCA PRÆFATUS

CHRISTIAN. GODOFR. STRUENSEE, R.



HALBERSTADII,

ÆRE FRIDERICIANO MDCCCLX.





ACTUM ORATORUM

MDCCCLXXII

ANNO DOMINI MDCCLXXII

IN STEPHANO

MASTENIUM

EMENDANDA RE SCHOLA

STICA PER EXTERI

MENTA

LAUDA PRISTINA

CHRISTIANO GOTTFRIDUS

CHRISTIANUS GOTTFRIDUS

ALPHONSUS

ALPHONSUS







**S**i quo alio tempore de emendanda re Scholastica præstantes viri cogitaverunt: patrum, nostraque ætate tanto ea res agitata est studio; ut, quibus scholarum salus curæ est, earum faciem brevi meliorem & lætiorẽ fore, sperare posse videantur. Vidit enim hæc ætas novos literarios ludos institui (a), qui repudiatis illis, quæ in ceteris scholis jure vituperabantur, his rebus florent, quas prudentes viri antea merito requirebant. Omissis ambagibus expeditiores brevioresque muniuntur viæ, quibus pueri ad propositam metam non solum celerius sed etiam jucundius perveniant. Ex summis etiam viris, qui rerum publicarum gubernacula tenent non pauci sunt, qui non optant modo, ut res scholastica constituatur; sed eam etiam adjuvant suppeditando sumtus, communicandoque consilia, quibus sa-

A 2

luberrimè

(a) Quis non audivit de scholis orphanotrophei Hallensis? pedagogo Bergensi? schola sic dicta reali Berolinensi? & de gymnasiis a Danicæ rege institutis?





luberrimam rem perfici posse putant. Prodeunt etiam complures libri, in quibus de scholarum optima ratione præcipitur: qui licet multa habere videantur, quæ aut fieri non possunt, aut inutilia sunt, aut nocent; tamen non pauca continent, quæ ad scholarum salutem adprime faciunt. Quæ cum ita sint, quis non excitetur ad bene de omni re scholastica sperandum? Quis ex tam multis, tamque claris signis non ducat lætum augurium, aut instare jam scholarum lætiora tempora, aut certe adpropinquare?

Curatius autem omnia consideranti præcipua quædam constituendarum ornandarumque scholarum ratio, præcipuumque earum subsidium requiri adhuc desiderarique videtur: quod in eo positum est, *ut, qui scholasticam rem administrant, in primis docti illi viri, qui ejus usum consecuti sunt, quæ experti sunt vel utilia vel detrimentosa esse cum aliis communicent; experimentisque instituendis, quid fieri possit? quid non possit, sedulo explorent, ceterosque de eo admonere in animum inducant.* Atque hac de re qualicunque hac scriptione, qua oratorius actus in Stephaneo nostro habendus indicitur, paucis agendum existimaui: ita quidem, ut tum sententiam meam explicem; tum, quare utilem esse hanc rationem arbitrer, exponam.

Vis omnis atque ratio scholastici officii duabus maxime rebus continetur, quarum una in tradendis artibus, altera in formandis moribus mentibusque scholasticæ juventutis versatur. Utramque





tramque mihi persuasi meliorem fieri posse, si quæ ad utrumque officium pertinent, a prudentibus animadversa ad imitandum aliis proponantur. Atque *primo* quidem optandum viderur, ut qui literas in scholis propinant, tum in quibus suos maxime versari voluerint, tum quo usque profecerint, tum qua methodo usi sint, & quæ quasi artificia adhibuerint ad instillandas eas tenellis mentibus, docere alios velint: illi præsertim, qui cum laude omniumque iudicio præclare suo munere funguntur. Ut, quos auctores legant, quo ordine, quantum certo aliquo tempore conficiant, quid in interpretandis illis maxime sequantur, quid agant ut suos ad optima exemplaria forment succum quasi atque sanguinem imbibentes, quibus exercitationum generibus suos uti velint, quemque fructum ex illis consequantur, exponant; & si plures scholæ ordines sint, quomodo perficiant, ut unus alteri inserviat, qui cuiusque quasi limites atque termini sint, quomodo consequantur ut docendi ratio eadem in omnibus adhibeatur; neque etiam, quæ desiderentur adhuc, impeditaque, quæ superari propter varias causas nondum poterunt, fileant. Quæ mihi ita ab iis explicanda videntur, ut non generalia tantum attingant, atque de summa re quædam delibent, sed etiam levia illa, prima specie, artificia, quæ non raro maximam vim habent, in quæ, quoniam dies diem docet, temere quasi atque fortuito interdum incidunt, cum aliis communicent.





*Deinde* quoniam vehementer utile esse arbitror, a trita via, si flexuosa videatur, interdum paullulum deflecti, compendiaque quasi viarum quæri: scholasticæ rei etiam atque etiam consultum iri puto, si quæ in ea re experimenta facta sint a viris prudentibus perscribatur, hique sua quasi vestigia exstare velint, quæ impressa alios vel moneant, ut eodem compendio uti velint, vel, si parum procefferint, documento ceteris sint, ne ea ire velint, qua a se erratum sit. Equidem non facio cum illis, qui, qua ceteri ante eos commeaverunt, viam plane relinquendam censent, novas tanquam propiores somniantes. His non raro accidit, quod iis, qui regionum parum periti, urbe, ad quam contendunt, procul conspecta, si forte anfractus quosdam cernunt, per arva, dumera, paludesque stolide ruunt; in quibus plerumque hærentes ita defatigantur, ut qui consueta pergunt, expeditius multo minoreque cum labore, eo, quo volunt, perveniant. Idem tamen viarum quædam compendia quæri posse & debere, censeo, quæ inventa ceteris, qui eodem pervenire cupiunt, non essent invidenda. Quod si jam dudum esset factum: brevior multo atque commodiore itinere ad artium arcem iretur.

Cum autem bona mens tum ad proficiendum in artibus plurimum valeat; tum discentium salutem maxime contineat: non minore cura, quæ ad formandam eam pertinere senserunt cordati viri, commemoranda arbitror. Inprimis e re scholastica esse putarem, indicari, quomodo late grassantia vitia repressa, fugata, atque sublata; abjecta virtus erecta, atque recreata; ordoque





ordoque & modus omnium rerum institutus confirmatusque sit. Effet etiam fructuosissimum sine dubio, a quibus initiis mala quædam orta sint, quibus rebus incrementa ceperint, quo evaserint, & quæ tandem medicina adhibita sit, doceri. Possent etiam scholarum leges referri, & ea subsidia, quibus ut illis pareatur efficitur, exponi; imo non cariturum utilitate arbitror, si quemadmodum singulos insigniter flagitiosos correxerint, explicare velint.

Exposui consilium: reliquum est, ut ostendam, cur, utile futurum, mihi persuaserim; quod difficile non erit. Arbitror enim constare inter omnes: *usum esse omnium rerum optimum magistrum*; multasque artes nostra ætate majora, quam superioribus seculis ob eam maxime causam cepisse incrementa; quod eruditi viri experientiam ducem diligentius, curiosiusque, quam ante factum fuerat, secuti sunt. Quis ignorat *medicæ* rei scientiam a suis cultoribus eximie auctam confirmatamque fuisse, postquam his, quæ ipsis occurrebant, diligenter notatis, experimentis etiam instituendis naturam penitus scrutati sunt. *Physicæ* alia facies esse cœpit, postquam docti viri non in angulis suis naturæ leges imposuerunt: sed ejus vim usu, experimentisque edoceri voluerunt. *Titi Livii, Tacitique historiarum libros* ad comparandam augendamque rerum civilium prudentiam magis conducere, quam *Platonis præcepta* de constituenda republica, omnes, qui de his rebus judicare possunt, uno ore fatentur. Quid de *agricultura* dicam, quam Angli Galli-

que



que experientiae ope reddunt indies perfectiorem. Ex quibus omnibus judicari posse existimo, non minorem ad scholas utilitatem perventuram, si, qui in illis versantur, quae ad salutem earum pertinere usu cognoverunt, consiliorumque susceptorum; rationisque a se initae eventum ad commonendos cohortandosve alios, ignorari nollent. Quod si enim *Sulpicius & Cotta* apud Ciceronem sibi impense gratulabantur, cum *Crassus* se, quid ipse fecisset, quo dicendi uberrimam facultatem consequeretur expliciturum promitteret; quod sperabant se iisdem artibus eloquentiae laudem consecuturos: certe his, qui scholis admoventur, imo scholis ipsis non esset minus laetandum, si ex exemplis summorum virorum, quid sequendum, quid vitandum esset, disci posset. Quantum quaelo fructum perciperent, si tot praestantes viri, sub quorum auspiciis non superiore solum sed nostra etiam aetate literarum officinae floruerunt, quae inter docendum animadverterunt scriptis mandare voluissent. Essent enim perfectissima exemplaria proposita, quae intuendo, quid sibi agendum, quid cavendum facillime omnes, quorum interest, existimare possent. Quam facile effugerent scopulos, ad quos tantum non omnes adhirescunt. Non deciperentur speciosis, quae plerumque inutilia sunt, imo noxia. Viderent non modo fieri multa posse, de quibus dubitaverant: sed etiam quomodo fieri debeant, intelligerent. Si ad rectum contenderent: non opus esset frustra insumere vires, laboremque; & quod multis accidit, cum magno molimine nihil agentes sibi suisque molestiam creare: habe-



rent enim hos viros duces, quorum vestigia expeditam monstrarent viam.

Habet hæc ratio hanc imprimis commoditatem, ut illi, ad quos ea maxime pertinet, paratiores sint futuri ad obsequendum, quam si præceptis tantum agitur. Quod enim recte dicitur: *in omni re experimenta plus posse, quam præcepta*, id in hac causa maxime putamus valere. Prodierunt his, superioribusque temporibus non pauci libri, nec plane inutiles, in quibus de optimo scholarum statu, de docendi ratione, de formandorum morum subsidiis, multisque aliis rebus, quæ ad scholarum salutem faciunt, præcipitur: sed ad summam rem parum profectum est. Aut enim non leguntur illi libri; aut si leguntur vix est, cui persuaderi possit, ut, quæ exiguntur, facere velit. Quod quemadmodum non probo: ita nec plane vituperandum esse arbitror. Pleraque enim, quæ de emendanda re scholastica scribuntur, cum ab iis non raro proficiscantur, qui munere scholastico nunquam functi festive somniant potius, quam vere præcipiunt, talia sunt, ut ea sequi dubitanti ignoscendum esse videatur. Quomodo inducat enim vir prudens in animum eam rationem in scholis sequi, quam scriptor aliquis sine auctoritate imo sine nomine ex luna a se petitam inque terras delatam esse fingit: maxime cum quocunque oculos conjicias, occurrant, quæ, qui tenuem scholarum usum habet, aut secum pugnare, aut inutilia, aut noxia esse deprehendet. Fieri profecto non potest, quin ex tam multis ineptis frivolisque consiliis iudicio facto le-

B

tores





Floues quæ forte utilia sunt simul cum his repudiēt. *Contra* ea hominem esse oporteret, non a scholis modo arcendum, sed ex omni hominum societate exterminandum, qui cognito, quid alii fecerint, quo progressi sint, quam rationem secuti sint, quæ impedimenta offenderint removerintque, quæ tanquam mala, aut minus utilia vitarint, non ad imitandos eos excitetur? quis faciliorem viam difficiliori non præferat? quis denique non lætetur? non gratuletur sibi, offerri vestigia, quæ sequendo ad exoptatissimam metam se perventurum non sperare, sed confidere possit?

Atque hæc de re meo iudicio longe utilissima hoc tempore differenda putavi. Superest, ut de qualicumque exercitatione pauca addam. *Primo* quidem tum *Reverendissimos scholæ nostræ Patronos*, tum omnes, qui studiis nostris favent, etiam atque etiam rogatos volo, ut sua frequentia adolescentulos ad dicendum prodituros, nec plane indignos ipsorum favore, atque benevolentia excitare velint. Deinde *Lectores* enixe deprecor, ne, cum pluribus linguis orationes haberi cognoscent, vanæ id ostentationi potius (quæ quid posset ineptius?) quam discen- rium commodis consulendi studio, ad quæ omnes opellas nostras referendas esse scimus, tribuendum putent. Quorum studia in linguis addiscendis collocata insigniter acuuntur, si, quantum profecerint, publice declarandi facultas datur. Denique non silenda est *amanatissimorum Collaboratorum* benevolentia: qui pro suo in me amore, quem plurimi facio, parte laboris suscepta orationes





*orationes primam, ultimamque item anglicam, italicam & gallicam* vel scripserunt, vel emendaverunt; quod humanitatis singularis officium reliqua eorum de me merita reddiderunt longe jucundissimum.

### Ordnung der Redenden.

David Christian Albrecht von Platen, aus der Priegnitz, redet von der Erhaltung unserer Schule bey dem gegenwärtigen Kriege, teutsch.

Johann Daniel Arnold Kipnase, aus Halberstadt, handelt in einer von ihm verfertigten griechischen Rede von den Verdiensten Melanchthons. Worüber

Manuel Andreas Nordmann, aus Quedlinburg, mit seinem Bruder, Ernst Volkrath Martin Nordmann, und Heinrich August Ludewig Kruse, aus Halberstadt, eine Unterredung anstellen werden.

Johann Salomon Neubauer, aus Huy Meinstedt, wird der Fehler Melanchthons in einer lateinischen Rede gedenken: und

Clamer Ueberhard Carl Schmidt, und Johann Christoph Gottfried Bosse, auch Johann Albert Sach, aus Halberstadt, darüber ein Gespräch halten.

Heinrich Friedrich Ernst Schulze, aus Semmenstedt, im Braunschweigischen, erzählt in einer englischen Rede, wovon er der Verfasser ist, die vor hundert Jahren geschehne Wiedereinsetzung Carls des 2ten in Engelland.

Johann





Johann Heinrich Woltmann, aus Kleinen Quenstedt, wird ein von ihm auf die Schlacht bey Parchwitz verfertigtes Gedicht hersagen.

Johann Gotlieb Andreas Röber, aus Horenburg, wird in einer von ihm übersetzten italiänischen Rede der merkwürdigsten Umstände gedenken, die vor dem Olivischen Frieden vorhergegangen, und

Christian Leberecht Klee, aus Kloster Bergen, von diesem Frieden selber reden, französisch.

Carl Friedrich Wehrkampf, aus Hartum bey Minden, singt von der Schlacht bey Torgau in teutschen Versen, die er selber entworfen, worauf

Jacob Ernst von Rohr, aus der Priegnitz, mit einigen Betrachtungen über die vier feindlichen Einfälle in unsere Provinz, und Danksagung an die Zuhörer in einer teutschen Rede beschliessen wird.





8.0 A 623A

vd 18

Nur für den Lesesaal

ULB Halle

004 585 895

3



*noch nicht verzeichnet*









56. 3

# ACTUM ORATORIUM

PRID. ID. DEC.

AB HORA II. POST MERIDIEM

# IN STEPHANEO

HABITUM IRI SIGNIFICAT.

DE

# EMENDANDA RE SCHOLA- STICA PER EXPERI- MENTA

PAUCA PRÆFATUS

CHRISTIAN. GODOFR. STRUENSEE, R.



HALBERSTADII,

ÆRE FRIDERICIANO MDCCCLX.

